DE ARTHRITIDE DISSERTATIO INAUGURALIS JOANNIS BAPTISTÆ...

Giovanni Battista Bartolomei

DE

ARTHRITIDE

Dissertatio Inauguralis

JOANNIS BAPTISTÆ BARTOLOMEI

PARENTINI

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLIII

A TE

DILETTISSIMA ZIA

GIOVANNA NOB. LENGUAZZA

CHE CON MATERNO ZELO

CON INDEFESSE CURE

MI SORREGGESTI NELLA LUNGA CARRIERA

RICONOSCENTE

QUESTO TENUE SAGGIO DE' MIEI STUDII

CONSACRO

Arthritis, a graeco ἄρθρον articulatio, phlogosim articulationum significat. Haec autem definitio symptoma potius quam naturam istius morbi refert; quapropter plerique auctores nomine arthritidis, morbum denotari consentiunt sui generis, radicem in organorum digerentium et praecipue hepatis adfectione figentem.

Dividitur arthritis 1. in acutam, quae vix ultra quatuordecim dies excurrit, et chronicam per annos, vel per totum vitae cursum mortales vexantem; 2. in regularem et irregularem, quarum posterior a priori differt juxta tempus invasionis, modum decurrendi et symptomatum sedem; 3. in hereditariam et acquisitam; 4. in apertam et larvatam; illa sub consuetis phaenomenis adparet, haec alterius morbi offert formam; 5. in febrilem et non febrilem; 6. in perfectam et imperfectam; 7. in retrogradam et externam, quae pro varia sede vel podagra, chiragra, gonagra, omagra, cephalagra etc. denominatur; 8. tandem in fixam et vagam.

De arthritide acuta regulari solum verba faciam, temporis angustiae causa.

Aeger arthriticus a longiore jam tempore conqueritur de digestionis anomalia; adpetitus est prostratus, sitis saepe adaucta, lingua muco albo conspurcata, sapor oris acido-amarus. Vexatur cardialgia, pleni ventris molestia, ponderis sensu ad epigastrium, patitur ructus frequentes acido-amaros, non raro vomitum, laborat flatulentia, abdomine tumido, alvi obstipatione aut diarrhoea irregulari.

His symptomatibus officinae digestoriae, alia quoque plerumque associantur, uti: color cinereus cutis, conjunctiva oculi flavescens, urinae parcae, decolores, cephalaea dira; vires somno non recuperantur; aliquando morosus aeger fit cum magno timore morbi gravioris instantis; fluxus haemorrhoidalis si prius aderat, vel catamenia nunc supprimuntur vel irregularia fiunt; dyspnoea quoque adparet; pulsus irregularis, frequens; motus impediti fere in toto organismo. Persentit denique arthriticus in extremitatibus inferioribus frigoris molestiam, quod venti ad instar circumvagari videtur, nunc autem aquae frigidae guttulam delabentem aemulatur; ingruit stupor cum gravedine extremitatum et tremores, articuli hujus illiusve membri pruriunt vel etiam dolent.

Phaenomena morbosa enumerata non omnia in omni occurrunt individuo arthritico, pleraque tamen medico observanti sese offerunt.

Priusquam autem paroxysmus ingruat per plures dies vel hebdomadas symptomata mitescunt; adpetitus enim redit, digestio optime

absolvitur, fruiturque aeger placido somno. Sed ista felicia inter auspicia sanitatis, lotium emittitur turbidum, odorem acidum spirans, abdomen insolite tumet, quin autem aeger molestias inde persentiat, incalescit facies, in extremitatibus ardor sensibilior fit, pulsus acceleratus, moderate durus tangenti sese offert.

Hac elapsa periodo, paroxysmus arthriticus exsurgit plerumque nocturno tempore ad auroram versus. Dolor scindes, lanciuans aegrum aggreditur in articulatione ut plurimum primi digiti pedis cum metatarso, vel in quacunque alia articulatione, vel in pluribus eodem tempore. Iste dolor brevi tempore adeo saevit, ut levissima lecti stragula aeger perferre nequeat.

Hinc tumor pedetentim enascitur modo minoris, modo notabilioris ambitus et molis, ab erysipelate pallidiori rubore et majori splendore distinguendus, qui functiones artus adfecti adeo turbat, ut aegri nec levissimos motus instituere valeant, cum minima quoque permutatio diros promoveat dolores. Insuper ipsa orditur febris, quae ingreditur horripilationibus, succedente aestu universali, pulsu frequentiori, pleno, duriusculo, tenso, cutis sicca tangitur, urinae parcae, profundius tinctae, odoris acidi mittuntur. Alienatur sensus communis et sensibilitas adeo intenditur, ut nec minimum crepitum, nec lenissimum advenientium ingressum valeat percipere aeger sine cruciatus augmento. Fugit infelicem somnus reficiens; surgere tentans vertigine corripitur, accessuros ad

lectum aversatur, timens ne artus affectos offendant. Nonnunquam aestus cum frigore alternat, frequentius autem calor aequalis per corpus est praedominans.

Postquam haec febris et dolor per circiter 24 horas saevierunt, de repente mitescunt, aegerque reficiente fruitur somno, quin tamen tumor in parte dolente exortus imminuatur, imo majus nonnunquam incrementum accipit — et sudore corripitur viscoso, universali, qui siccatus, pulverem levem sistit, quem pro calce phosphorica habent; pulsus est mollior et regularis, lingua humidior, purior, et non raro diarrhoea mucosa signum criticum edit. Lotium mucosum mittitur, et ex sabulosa hypostasi sales phosphoricos accipimus. Subinde exanthematis species, miliari non absimilis, in conspectum venit. Vix autem aeger per diem illam levamine reficiente gaudebat, febris et dolor nocte sequente denuo vi atroci revertuntur. Haec exacerbatio omni nycthemero alternis diebus recurrit, et tandem circa septimum vel undecimum diem, febri utplurimum abacta, tumor etiam inflammatorius et dolor insigne capiunt decrementum, resolvuntur, et haud raro partium, quas tenebant, defurfuratione terminantur. Functiones omnes, quae prius abnormes erant, nunc sensim sensimque absolvuntur ita, ut aeger serena fronte de sanitate recuperata glorietur.

Ast serius ociusve, imo saepius novo et diro impetu, paroxysmus redit, et deinde recurrit

periodice singulis annis eodem tempore vel vere vel autumno, tandem et intra anni spatium pluries occurrit, plerumque ob regiminis diaetetici perversitatem aut luxuriam, aut alium excessum; ubi deinde profundius et latius radicem figit, limitesque durationis excedit, ita quidem ut aeger vix aestatis tempore a morbo immunis evadat.

Ob accessus tam frequentes et diu durantes digestionis et assimilationis graviores enascuntur turbationes, se — et excretio alienatur, materies organica imperfecte elaboratur, vires vix restaurantur, unde debilitati universali aeger traditur. Organisatione itaque tam varie et perverse mutata, fit, ut arthritis in chronicam transeat; tumores inflammati resolvi non possunt, verum magis magisque indurantur, tandem duritiem osseam vel fere lapideam acquirunt. Oriuntur symptomatice ophthalmitides, laryngitis, pleuritis, gastritis, hepatitis aliaequae chronicae inflammationes. Demum febris oritur lenti decursus, depascens, quae sensim miserandos aegros ad extremum diem ducit.

Causae communi more in disponentes et excitantes dividuntur; inter primas hereditaria opportunitas in primis recensenda est. Haec a genitoribus arthriticis ad proles propagatur, qua praesente, levissimae etiam causae occasionales, secus innoxiae, morbum provocant. Sic etiam a parentibus phthisicis, scrofulosis, rhachiticis, lue universali adfectis, prodeunt infantes aliqua ad arthritidem dispositione inqui-

nati; parentes quoque inaequalis aetatis, ubi annis multum discrepant, proles edunt huic morbo obnoxios. Hinc accedit habitus arthriticus, qui in corporis constitutione robusta, pingui, plethorica, irritabilitate majori, cutis asperitate, secretionum anomalia, temperamento cholerico, sanguineo consistit. Sexus praeterea virilis prae femineo arthritidi succumbit, et illi, qui in juventutis flore scrofulis vel rhachitide tentati fuere, morbum hunc atrocem raro rarius effugiunt. Huc demum et aetas numeranda est, nunquam enim sub annis triginta hic morbus notatus fuit.

Inter causas excitantes varium vivendi genus, labores et studia, consuetudines, animi pathemata praeprimis memoranda sunt. Huc itaque spectant nutrimenta; caro animalium admodum pinguis, oleosa, cibi aromatibus multum conditi, praesertim si per longius tempus in usum trahuntur, vel si digestionis officinae offeruntur his rebus subigendis impari; abusus porro spirituosorum, vini recentis, nondum satis fermentati, acris, austeri; cerevisiae recentis, aut materiis peregrinis, aromaticis, acribus onustae. Vita sedentaria ac iners, vel nimia mentis intentio, rerum angustiae, moeror, tristitia, timor, metus, juventutis flos Venere defoedatus, turpe onaniae exercitium; bilis, urinae, materiae perspirabilis, menstruorum, fluxus haemorrhoidalis, exanthematum suppressio; regiones depressae, aër humidus frigidusque, adfectiones rheumaticae chronicae, ne-

gleetae, male tractatae, purgantia perverse adhibita, aut diuturna eorum administratio, oxyda plumbi, hydrargyri incaute adplicata: tandem forsan et arthritis per modum contagii, per transpirationem et sudorem propagari potest.

Quamplurimas opiniones referre possemus de natura istiusmodi morbi, si auctorum omnium temporum libros recensere vellemus. Attamen fere inutile hoc esset; nam audiremus saepe easdem sententias, mutatis verbis, enunciatas. Hic auctor in mutata crasi humorum, ille in solidorum adfectione, alter in acido, alter in alcali, aliquis in nervis, aliquis in membranis fibrosis arthritidem sistit. Post tot gravissimos et praestantissimos auctores, qui de hoc morbo tractaverunt, post tot et tam varias sententias, quae emissae fuerunt, quid mihi remaneret dicendum? Nil aliud certe nisi opinionem referre auctorum temporum nostrorum, qui maxima fulgentes experientia et doctrina in eo conveniunt, proximam arthritidis causam in plethora abdominis, imprimis venae portarum, et inde enata uberiore bilis secretione, cum tali digestionis, assimilationis et haematopoëseos, nec non excretionis praeprimis urinae turbatione, ut non solum lotii minor quantitas generatim secernatur, sed et sales phosphorici, uti calx phosphorica, acidum phosphoricum, soda phosphorica in corpore retineantur, vel saltem imperfecte hac aut alia via expellantur.

An sanabilis vel insanabilis sit arthritis,

concordes non sunt auctores. Juxta nonnullos insanabilis est, juxta alios facile sananda; plerique vero sustinent sanabilitatem ejus semper pendere a gradu, a tempore, ab individuo laborante, a circumstantiis externis; morbum autem semper difficilius sanandum esse. In hisce rerum circumstantiis prognosis arthritidis plerumque infausta dicenda est, in genere autem atrox iste morbus summa vitae discrimina minatur, si insultu repentino ab organis externis intra conversus organa vitae principalia adgreditur. Funestus praeterea eventus esse solet, ubi insultus arthritici consueto, quo intrare solent, tempore, non apparent, quin morbus ipse subactus et eradicatus fuerit, unde senes apoplexia imprimis abripiuntur. Infaustissima quoque prognosis statuenda est, ubi senes decrepiti arthritidi succumbunt, deficientibus enim viribus vitalibus, vitae etiam reactio imbecillior fit, hinc vita utplurimum morbo cedit.

Quo major hereditaria ad arthritidem est dispositio, eo majora naturae et medico auxilium afferre conanti opponuntur obstacula, et hinc eo minus sanatio radicalis expectanda est. In sensibilioribus habitu nervoso praeditis, morbus hic haud raro sub forma hemicraniae, prosopalgiae, spasmorum et aliorum nevrosium saevire solent, quae pertinaciter decurrentes, vitae saepe pericula struunt; laxos aut phlegmaticos corripiens in chronicum transit, desorganisationi imprimis faventem. Corpora robusta, temperamenti sanguinei, cholerici, insultibus gra-

vioribus arthritidis raro succumbunt; in his enim plerumque regulariter decurrit, molimina critica prospero eventu succedunt, vitia organica in articulis vix enascuntur, et aegri salus in integrum plerumque restituitur.

Vita insuper sedentaria, Veneris abusus, excessus in potu et voracitas nimia in causa sunt, ut arthritis, suum adepta culmen, vitae flammam extinguat. Habitacula porro humida, frigida, loca paludosa, depressa spem sanationis eripiunt. Tristissima quoque est prognosis, ubi morbus iste atrox cum aliis malis complicatur, uti plerumque sunt cachexiae — tum tandem tempora ad arthritidis eventum faustum vel infaustum contribuunt; autumni aut veris tempore, sub Jove pluvio, variabili, hiemali, morbus naturae et artis subsidio pertinacius resistit; magis favet caelum serenum, aër purus, moderate humidus, tepidiusculus.

Quum tot et tam dissitae sint sententiae auctorum quoad essentiam hujusce morbi, totidem necessario erunt discrimina eorum relate ad therapiam; sed potius quam in istis methodis recensendis tempus amittamus, utilius arbitror, meliora ab auctoribus recentioribus colligere consilia, quae a praxi plus minusve firmata fuerunt, ad morbum hunc curandum et quam possibile devincendum.

Indicationes contra morbum dividuntur communiter in curativas indicationes accessuum, totiusque morbi — plerumque arthritici signa quaedam constantia habent, ex quibus de im-

minenti accessu suspicantur — nunc vomitus et alvinae dejectiones indolis biliosae, nunc ariditas cutis, nunc melancholia, nunc alia phaenomena prodroma notata fuerunt. His accedentibus diaeta parcissima a practicis praescribitur, ut vis compescatur accessus jam ingruentis — aliqui consulerunt motum activum violentum, qui valuit aliquando, sic narrant, accessum praepedire, aliquando vero graviorem reddidit.

Accessu jam ingresso, regimen universale differt juxta statum eundem universalem — quod si febris intensa et inflammatorii characteris fuerit in individuis robustis, plethoricis, adnuentibus causis occasionalibus, tunc certe methodus antiphlogistica sat generosa, solvens, diaphoretica nemini non indicata apparet; ast semper circumspectus sit medicus, ne phlebotomiam absque prudenti moderamine adhibeat, memorque sit, in arthritide sanguini magis esse parcendum quam in aliis morbis inflammatoriis, ne organismum energia salutifera propria privetur, qua ad crises, et quidem diaphoreticas, et aliis viis absolvendas adeo indiget. Tali ratione medicus etiam in adplicatione purgantium cautus esse debebit, cum remedia haec, nonnisi sub primo morbi insultu, in auxilium vocari suadeant auctores — Usum quoque internum narcoticorum optimo cum effectu fecisse nonnulli asserunt — Ubi febris autem mitior est, eccoprotica, diapnoica et congruum regimen plerumque sufficiunt.

Diaeta robustis sit tenuis; cibi vegetabiles, tenues, facile digerendi, evitato omni aromate; potus, omnibus spirituosis interdictis, aquosus aut mucilaginosus, subacidus sit. Senibus autem exhaustis, victus vegetabilis, carne teneriore mixtus, convenit, respiciendo semper ad digestionis officinam — Vino consuetis parvam ejusdem portionem cum aqua mixtam concedere non inconsultum erit. — In cubili, ubi aeger versatur, temperies servanda moderate calida, aequabilis, aër quotidie renovetur, prospiciendo ne repentina vicissitudo inducatur.

Quoad vero partes dolentes et inflammatas, sunt qui balnea frigida valde commendant; sed hac methodo timendum est, ne repercussa inflammatio ad organa nobiliora transferatur — Alii fomenta calido-sicca praeferunt, plerique autem cataplasmata emollientia levia articulis cum fructu adhibent — Si dolor et alia phlogistica symptomata caput extollant, evacuatio sanguinis localis et usus narcoticorum, opio excepto, optime conveniunt — Quum autem articulorum phlogosis lentò passu procedat, frictionibus siccis lenioribus et leni motu articuli adfecti est promovenda.

Accessu desinente, evacuationes criticas artis ope adjuvamus; in hunc finem corpus, ex morbo vix exantlato, sensibilius, praesertim pedes, vestimentis densioribus custodiri jubemus, ut tepore semper aequabili foveantur, et transpiratio modica continuetur.

Victum digestionis organis, nec non corporis robori consentaneum adcommodamus, temperantiae nunquam obliti.

Reconvalescens, tempestate favente, motum in aëre libero, sanitati ingruenti admodum amicum, diligenter instituat, nam tali pacto alvi anomaliae praecaventur, se — et excretiones modo congruo promoveantur. Cum in arthritide organa vitae reproductivae dicata simul sint adfecta, in reconvalescentibus haec languentia et debilitata, roborantibus amaris ad vires pristinas reducantur et in officio suo adjuventur, necesse est. Quam primum organa haec dictis remediis, quousque licet, correcta fuerint, ad fortiora transeundum, uti: cinconacea, martialia etc., ut tali ratione debilitas universalis abigatur; his remediis imprimis utendum, ubi senes decrepiti, laxi, ab hoc morbo liberati fuere — Praeter ista remedia alimenta concedimus absque stimulo fortiori nutrientia, vinum melioris notae parva quantitate; extremitates, inflammationis impetum expertae, a refrigerio et aliis vicissitudinibus noxiis caute custodiantur.

Quod si demum aegrum atroci huic morbo eripuimus, methodum curativam radicalem indicari nobis remaneret, qua arthritidis extirpatio felici eveniat successu; sed hoc difficilimum est ob pervicaciam morbi; quae tamen evitanda et agenda sunt ad emendandam constitutionem, quam possibile est, paucis verbis exponam.

Alimenta conveniunt ex utroque regno comminxta, sepositis omnibus glutinosis, pinguibus, tenacibus, acidos humores vel flatus generantibus, vel fumo induratis — potus aquae simplicis reliquis praecedit, nihilominus vino adsuetis illius usum cum aqua diluti concedimus — vestitus quidquam sit densior, quam anni tempus exigeret et saepius mutetur. Motus corporis in aëre libero moderati, et praesertim matutino tempore maxime arrident; juvant praeterea equitatio et vectio — caveat arthriticus, ne vigilias protrahat in seram noctem, aut somnum pleno hauriat poculo; mature itaque lectum quaerat, et aurora intrante eum fugiat. Lectus ipse, cum ex plumis confectus nimis tepori faveat, ex pilis equinis sit confectus — Cubile ipsum amplum, elatum sit, orientem imprimis spectans, tempore hiemali modice calidum, aestate modice frigidum — cura medici praeterea est, ut aegri animum hilariorem servent, a curis expertem, hinc studiis oblectantibus, spectaculis amoenis exhilarare et reficere studemus; meditatio intensa, affectus animi deprimentes, metus, timor, tristitia, moeror repellentur; quapropter itinera suademus per caeli regiones mitiores, ubi animus objectorum varietate exhilaratur, corpus aëre libero et exercitio roboratur — remedia ipsa in hoc morbo indicata, sunt solventia vegetabilia, antimonialia, sulphur, alcalia, sapo, guajacum, narcotica, et a practicis praecipue laudantur aconitum, mar-

tialia, lotiones in aqua tepida, dein frigidiuscula, tandem frigida balnea — therapia haec, casui individuali adcommodata, cum perseverantia est continuanda ad bonum obtinendum effectum.

THESES DEFENDENDAE

I.

Sensus praecipuus est vitae custos.

II.

Ad sensationes ponendas, praeter impressiones earumque transmissiones per nervos, requiritur semper cerebri activitas.

III.

In systemate nervoso prima conditio pathologica.

IV.

Gradus doloris non est in directa proportione cum intensitate morbi.

V.

Morbi intermittentes non dantur.

VI.

Scrofula non ex debilitate digestionis, sed potius ex faciliori digestione oritur.

VII.

Non omnia medicamina, quae immediate adplicata phlogosim generant, ad stimulantia pertinent.

VIII.

Venae sectio nunc princeps est diaphoreticum, nunc vim vasorum inhalantium adauget.

IX.

Salus infantis, nondum ex utero exclusi, matris saluti postponenda.